


Lat. rec. B
56





DISSERTATIO
PHILOSOPHICA ET RHETORICA PRIMA
DE
ANIMORVM CHARACTERIBVS
ORATIONE EFFINGENDIS

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO


DOMINO
ERN. AVGVSTO CONSTANTINO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE
RELIQVA

PRO LOCO
IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE OBTINENDO
A DOCTIS ADVERSARIORVM REPREHENSIONIBVS
TVEBITVR

M. IO. CHRISTIANVS BLASCHE
SCHOLAE IENENSIS RECTOR ET SOCIETATVM
TEVTONICAE ATQVE LATINAE COLLEGA

RESPONDENTE
HENRICO DITERICO WOLDT
LVBECENSI
PHILOSOPHIAE ET SANCTIORIS DISCIPLINAE
CVLTORE

AD D. XVI. IVN. A. R. P. G. S. MDCCCCLVI.



IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

INSTITUTIONA HISTORICA BRITANICA

AMPHIBIA CHARNACIENSIS
ORATIONE RITINGENDIS

LECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
CETERISQUE RITINGENDIS AC DOMINO

DOMINO

PROLOGO CONSTANTINO
MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS
MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS

PRO LOCO

IN AMPLISSIMO THEATRO RITINGENDIS
MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS

MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS
MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS
MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS

REPORO RITINGENDIS

HENRICO DITERRICO WOLFFO

EMERSONI

THE ORIGIN OF THE DISCIPLINE
RITINGENDIS

MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS

MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS
MAGNIFICENTISSIMO RITINGENDIS



PRAEFATIO.

Sumsi hoc mihi, ut ethicae characteristicae, per antiquae rei ac praeclarissimae leges rationemque peruestigarem, quaesita ab aliis, atque reperta colligerem, collecta iusto systemate vincirem, clariori luce collustrarem, ac firmis rationibus corroborarem. Agrum igitur nondum satis excultum colere coepi. Vtrum is ego sim, qui recte hoc mihi sumsisse videri queam, aliorum est, non mea existimatio. At operaene pretium fecisse omnino putandus sit, qui tale negotium susceperit, habeo, quae probabiliter differam. Itaque, si incultus ager est, ut ego arbitror; praestabit sane, diligentius colere, modo ne sit sterilis nimis, et eiusmodi, qui fructum edere nulla ratione queat. Quomodo vero hoc ego metuam? cui quippe sit persuasum, quidquid ad animi culturam, ad voluntatis potissimum emendationem, vitaeque prudenter degendae rationem attinere merito videatur, non esse posse non fructuosum ac saluberimum. Ethicam autem characteristicam, qua regulae sunt tradendae de animorum characteribus, oratione effingendis, eam vim habere, facili negotio intelligitur. Efficiuntur enim ex huius artis praeceptis quasi specula quaedam, in quae, quotquot diligenter inspiciunt, semper ex huiusmodi contemplatione aliquid referunt, quod pulchre possint ad usum domesticum transferre. Nam ethicam quidem sublimiorem illam ac contemplatiuam, pulcherrimam alioquin, pauci intelligunt, paucissimi ab ea permouentur ac leuiter illud quidem. Nostrae vero artis specimina, propterea quod

sensus tangunt, ad fidem faciendam longe melius sunt ad-
 commodata, et habent maiores quasi monendi et exhortandi
 stimulos. Fac periculum, si placet. Effinge verbis, quan-
 tum potes, bene ac nauiter, ostentatoris, vel sordidi homi-
 nis animum moresque. Aliquid etiam satirici salis adspere,
 ne condimentum desit. Propone in publico tabulam, et
 velut Apelles aliquis, furtiuo oculo, adspicientium contem-
 plare vultus. Crede mihi, laboris fructum et oculis et au-
 ribus capies longe pulcherrimum. Erunt enim, in magna
 videlicet turba, nonnulli, qui te artificem laude maclabunt.
 Alii contra rubore suffusi, ac taciti discedent. Rursus alii
 contumeliis omnibus te onerabunt, quas laudibus tuis ad-
 pones rectissime, quoniam ab eo genere hominum proficif-
 cuntur, quorum vlcera manu tetigeras medica. Namque
 illi, opprobrii atque dedecoris vitandi causa, siue omnino
 sapere, siue cautius mercari discant, nec tam aperte, tam im-
 pudenter, neque adeo tam crebro insaniant; tu tamen,
 quidquid huius sit, semper habebis, quod gaudeas, repres-
 sam, vel emendatam fuisse stultitiam. At vero hic facile
 quisquam mihi: tu vero post Theophrasti tempora, serus
 homo, post alios in hoc genere viros summos, qui animo-
 rum characteres egregie scripserunt, nunc demum exoreris,
 qui istam rem ad artis formulam redigas? Ego vero, si, cum
 oratores essent atque poetae, dum nondum ars esset legi-
 bus recte comprehensa, artem condere probrosum nemini
 fuit, quasi non recte industria fuisset collocata: eandem
 mihi veniam deposcere posse videor. Mitto igitur hoc, et
 aliud attingo magis necessarium caput. Scilicet, quae
 hic proposui, initia quaedam sunt, scripta non satis per
 otium, et saepe interpellata, et paruo tempore scripta. Nec
 progredi amplius, nec perpolire licuit. Et tamen neces-
 sario, propter rationes meas, scribendum aliquid fuit. Si
 quid igitur hic sit praetermissum, quod primo statim loco
 ponendum erat: poterit hoc tum, cum aliquot post disser-
 tationibus reliqua persequar, quae plurima sane sunt, ac
 potiora, sarcire.



§. I.

Characteris vocabulum varie multa significat, quae quidem sermonis inconstantia nobis primum est omnium tollenda. Modo enim generatim, quo vnumquodque ab altero, quomodocumque discernitur, modo restricte hoc ipsum denotat. Aliter illud philosophi de disciplinae abstrusioris capitibus se vere praecipientes, aliter elegantioris doctrinae magistri intelligi vocem volunt. Recentiori aeuo, hominis cuiusdam, vt ego arbitror, male falsi ludibrio aliquid coepit significare character, quod aliquid saepe nihil est, dignitatem scilicet nescio quam, titulumque honoris, sine honore. Omnium credo cum antiquissimus, tum honestissimus est sensus vocis, cum de indole animorum, varietateque ingeniorum morumque adhiberi solet. Nos quidem ex instituti ratione, missis prioribus, in posteriori haerebimus sensu, explicatius, quantum fieri poterit, tradituri, quid de characteribus morum, eorumque imaginibus partim philosophia moralis, partim etiam bene dicendi lex suadeat eloquentiae cultori.

§. II.

Est igitur character, siue quod idem hoc loco, indoles animi, est haec inquam adfectionum eius complexus, quatenus per haec animus, vt ab aliis diuersus consideratur.

A 3

§. III.

§. III.

Adfectiones sunt vel in repraesentandi, vel adpetendi facultate, ac vtriusque partis habitus in vnoquoque homine longe multumque diuersi. Quae quidem diuersitas obiectorum varietate, quae vel cognoscuntur, vel animum impellunt, mirum in modum augetur. Ex quo efficitur, vt certa atque determinata cum cognitionis, tum adpetitionis seu voluntatis ratio animi characterem constituat.

Corol. 1.

Opiniones igitur hominum praesumptae, atque persuasiones, varia ac diuersa de rebus ad felicitatem vel efficiendam, vel stabiliendam pertinentibus, iudicia, itemque diuersa eorundem studia, quibus feruntur atque incitantur, ad animorum characteres sunt referenda omnia.

Corol. 2.

Etsi in characteribus voluntatis eiusque studiorum ratio vel potissimum est habenda; tamen cognoscendi facultatis consideratio minime omnium est negligenda; quam qui neglexerit in effingendis oratione characteribus, non integrum exhibet characterem animi h. e. τὸ ἀρχέτυπον animum scilicet, non omnem describit.

§. IV.

Sua cuiusque hominis agendi sunt generalia principia, e naturali ad felicitatem fruendam nisu orta, quorum ille refert, quaecumque agat, omnia. Ac sunt illa quidem in eodem homine, pro remediorm rerumque diuersitate, vnde nascitur felicitas, varia et multiplicia. Varie igitur ac diuersimode animus hominis inclinatur ad res expetendas, vel a contrariis abhorret atque repellitur. Quidquid autem in illo sit dissimile, quantumuis diuersa sint studia eius, ita quidem, vt habendi cupido cum sint, regnet simul ex altera parte dignitatis studium, auiditati illi fere contrarium: tamen, cum ad rem confertur consilium, non potest

test

test non animus alterutrum ex duobus propositis repugnantibus, quae obtineri simul nequeunt, decernere, et vnum agere, atque omittere alterum. Itaque fit, ut quemadmodum per se animus vnam constituit naturam, vnum ens; ita etiam in eius studiis, voluntatibus, ac propensionibus in magna varietate vnitas semper adpareat. Oblatis enim rebus quibuscumque ad decernendum, vel eligendum, subit continuo principiorum agendi cogitatio, quorum illae referuntur. Tum vero, siquidem, quod saepe accidit, diuerse trahitur animus, ac modo huc, modo illuc inclinatur, prout diuersae sunt rationes, quibus, quae sibi bona sunt, aestimare solet, tum vero, quia vnum est decernendum, atque arripiendum, principiorum agendi fit diligens collatio, eorumque quasi pugna quaedam exoritur, donec tandem rationum fortioribus momentis debiliora vel omnino, vel maximam partem cedant, atque adeo, posterius cum fit, in vnum quasi coalescant agendi principia, et in concordiam quamdam redigantur. Nam hoc quidem per se vnum est, si alterum principium alteri totum cedit,

Schol.

Nihil in hoc §o. sumitur gratis. Ipsa enim experientia, cuius ad probandum vel maxima vis est, abunde rem loquitur. Tum autem ex regulis collisionis, quas enucleatius philosophi tradiderunt, lux affunditur clarissima. Animus enim hominis felicitatis suae perstudiosus semper ob id ipsum perfici cupit. Perfectiones igitur adipisci studet. Quod ipsum cum varium sit ac multiplex, perinde, ut rerum varietas est, atque remediorum, quibus id fieri posse putat; porro, cum tempore circumscripto, si quid sub deliberationem cadit, alterutrum ex duobus repugnantibus sit statuendum ac decernendum, scilicet, ut agatur aliquid, aut omittatur, ut hoc, aut illud, aut istud agatur: tum solet accidere principiorum agendi pugna, h. e. regularum, vnde perfectio pendet, fit collisio. Itaque vel alterutri regulæ solum et ex asse fit satis, vel, si fieri potest, ex vtraque, aut ex pluribus
singulis

singulis aliquid remittitur, itaque vnum decernitur. Adde iam hoc, quod animum non nisi et eius decretis atque effectis cernere possis; ac luce clarius est ex his omnibus, *unitatem eius etiam in diuersissimis studiis semper esse et adparere debere.*

§. V.

Rem per se quidem cognitu haud difficilem necessario hic attulimus, propterea, vt ratum fixumque sit principium, ex quo dicenda in posterum maximam partem pendeant. Certe id ita verum est, quod in priori paragrapho posuimus, hoc scilicet: *unitas est in vnoquoque animi characterē, vt, si quis in animi fingenda effigie illud neglexerit, pugnantia dixisse, atque errorem lapsus grauissimum merito sit censendus.* Stabit igitur haec regula priori sectione fundata: *qui animi characterem quemdam effingere studet, is unitatem in eo propositam habeat, necesse est.*

§. VI.

Etiam si ex ipsa demonstratione, quam dedimus, apparere posse putamus, quomodo intelligi velimus illam characteris unitatem: tamen non plane fuerit superfluum, in definitionis compendium cogere, quae huc pertinent. Est igitur illa adfectionum quarundam animi diuersarum complexus consentiens, vnde ratio pendet eorum, quae animo caeteroquin tribuuntur.

§. VII.

Cum cognoscendi, tum adpetendi facultatem, et quae in illa nascuntur habitus ad animi characterem pertinere (§. I.), in illius definitione diximus. Iam quaestio hic oritur, quomodo possit aliquis in errorem istum incidere, cuius mentionem ante fecimus, vt in effingendo characterē ab unitate digrediatur, animumque fingendo ac describendo male, in plures quasi partes discerpat. Quod vt recte atque dilucide explicetur, per singula eundem. Primus igitur erit de cognoscendi facultate et promptitudine
fermo.

fermo. Constituenda hæc quidem est ita, ex definitionis præscripto, vt determinate cognoscatur, atque adeo eius, quodammodo certe, quantum scilicet fieri potest, diuersitas ab aliis repræsentetur. Quod, si factum est; quamdam quasi normam, quam sequaris, habes in reliquis, quæ ad eundem referas characterem. Scilicet cum causis semper suis effectus respondeant, et illis esse maiores nequeant; cognoscendi vero et iudicandi actus effectus merito sint habendi: consequens est, vt, constituta semel ex aliqua parte vel scientia vel cognitione, eiusque gradu quodam proposito, nihil deinceps de eodem characterem dicatur, quod ex allatis determinationibus intelligi nequeat, iisdemque repugnet. *Nulla igitur actio temere tribuenda est characteri, cuius excogitatio atque descriptio maior adpareat, quam vt ab ista cognitione proficisci posse, credibile sit*

§. VIII.

Ad adpetendi facultatem quod attinet, hoc enim alterum restat, dicendum; similiter sane hic quoque pronuntiandum erit. Itaque quorsum illa potissimum inclinēt, quæ potiora sint homini, quibus rebus maxime moueatur, quibus vel alliciatur, vel abhorreat, constituendum est. (§. I.) Ac potest rei cuiusdam tantopere acui et inflammari studium in animo, vt dominetur, ita incendi cupiditas, vt flecti aliunde, vel aliorsum omnino nequeat. Ac proinde nemo est, in quo adfectus non aliquis regnet, aut in quo constituta non sit ratio quaedam dominans. Si quid igitur huius in describendo characterem posueris, et quod imperium quasi quoddam in hominis animum exercent, constitueris, eiusque adfectibus quasi prouincias dederis, hoc est, quibus in rebus dominantur, edixeris; hanc legem rationemque scito custodiendam diligenter esse, vt ne quid in eodem characterem versans edisseras, quod positus istis repugnet determinationibus. Breuiter vt dicam: *nihil debet continere characteris descriptio, quod adfectui eius dominantis, quomodocumque constituto, repugnet.*

B

Schol.

Schol.

Grauitur itaque, ut exemplo res illustretur, peccaret, si quis in C. Iulii Caesaris caractere describendo, ita verberetur, ut mores fingens hominis regnare supra, quam enarrari potest, cupientis quidquam adferret, quod cum hacce eius regnandi dominante cupiditate pugnare penitus videatur. Quod quidem facile posset contingere, si eius mansuetudo animi aduersus inimicos, qua saepe usus est, ob oculos verberetur; sed non satis, ut erat, et penitus intellecta. Tutus vero idem ab hoc errore fuerit, si semper meminerit eius, quod ex Euripide haustum crebro Iulius usurpauit: si violandum est ius, regnandi gratia violandum est; in ceteris rebus pietas colenda.

§. IX.

Contingere potest, ac fere plerumque contingit, ut animus humanus variis de causis valde immutetur. Aetas, usus, rerum magister, fortunae vel prospera ratio, vel aduersa, euentus actionum sinistre cadens, innumera alia, in animum influunt magnopere, eumque commutant, ut a se ipso non leuiter dissentiat. Itaque fit, ut, quemadmodum infantis, vel pueruli facies exiguum aut nullum prope vestigium in viro relinquit, quantum quidem nos cernere possumus; sic animus humanus, temporum lapsu, aliam quasi formam, vultumque induat. Quae cum ita sint; tamen non potest non vnus idemque esse animus, idem ingenium, iidem mores eodem temporis puncto aut intervallo. Saluum igitur etiamnum manet, quod supra (§. 4.) de vnitatem in animorum caracteribus obseruanda, iustis de causis adfirmauimus. Recte proinde hic possumus praecipere, ut in fingendis illis ac describendis, suum cuiusque certum, atque statutum tempus obseruetur; quemadmodum pictores, faciem si pingunt aut regionem, ex omnibus partibus eam, quouis statu vultuque repraesentare simul nequeunt; sed locum constituunt, ex quo et ipsi pingentes intueantur res propositas, et alios eas intueri deinceps iubeant.

§. XI.

Schol.

Saepe hic multos, in characteribus eorumque imaginibus fingendis non satis exercitatos lapsos esse, animaduertimus; et facile est, labi, maxime, si ipse vel orator, vel poeta personas inducat hominum, qui numquam fuerunt. Hoc enim *Φαντασίας* ope negotium fere geritur, et, si recte atque ordine fit, iudicio atque sollertia demum absoluitur. Igitur facillime fieri solet, ut componendis separandisque visis vndique oblatis, vel coniungas pugnancia, vel separe, quae vinculum habent arctissimum, atque adeo etiam, quae temporibus rebus suis accommodatis, conueniunt, in aliud tempus minime accommodatum, cum errore transferas, atque pugnancia dicas. Velut homines gloriosi, orationis vanitatem cum adhibent, eo saepe progrediuntur, ut ineunte aetate se iactent egisse multa, tam considerate, tam prouide prudenterque, tantaque constantia, quae vix ac ne vix quidem in virum, aut senem cadere posse videatur. Sane isti ab unitate, quae characteris est tam necessaria ratio, ut nequeat abesse, mirum quantum digrediuntur, itaque etiam ridentur.

§. X.

Suum cuiusque characteris tempus quoddam esse respiciendum, ut unitas retineatur, dictum est haecenus. Quaerere autem hic possit aliquis, quomodo, cum sic se res habeat, unitas retineri in eiusmodi characteribus queat, quibus per omnem aetatem et status varietatem hominis vita moresque delineantur, cum alius subinde atque alius adpareat homo, aliis consuetudinibus, facultatibus, studiis, moribus aliis praeditus. Quod quidem sic puto esse explicandum, ut sequens paragraphus habet.

§. XI.

Dabitur hoc nobis non cunctanter a quolibet veri falsique scrutatore, philosopho, quidquid acciderit hominis animo, ita eum semper adfieri solere, nec aliter, nisi ut eius cum naturalis indoles, capacitatem vulgo dicunt, tum quae-

B 2

libet

libet patitur facultas exercitio acquisita. Ex quo sequitur, vt omnium, quae in animo fiunt, mutationum ratio reddi possit ex duobus hisce capitibus, primum quidem ex eius indole naturali vel acquisita, siue ex eo statu, in quo est animus, cum subit mutationem; tum autem iis ex rebus, quae illi accidunt, mutationum quippe ex occasionibus causis. Huic consentaneum illud est, vt, quemlibet statum mentis posteriorem ex priore euolui et explicari, adiunctis illis occasionibus, statuamus. Recte igitur atque dilucide explicato animi quocumque statu, semper adparebit proprietatum eius adfectionumue collectio, ex quibus ratio reddi poterit eorum, quae caeteroquin illi tribuuntur, hoc est vnitas tenebitur. Quod primum est in huiusmodi characteribus momentum. Deinde non poterit non adparere statuum quaedam animi per omnem aetatem omnium coniunctio et quasi copulatio, quippe quorum alter ex altero nascitur. Itaque generatim fiet collectio proprietatum atque adfectionum, vnde ratio reddi poterit omnium, quae in illum ipsum conueniant characterem, et, quae ab eodem aliena sint censenda. Vnitas igitur sic quoque in vniuersum obtinebitur, et quoniam animi natura et ratio id postulat, tenenda erit.

Schol.

Nisi me fallit ratio, non poterit numeris suis absolutum esse descriptum ab aliquo vitae curriculum, siquidem norma ista et regula sit neglecta, quam hic dedimus. Certe hunc in finem aut condita, aut condenda est biographia, vt ex rebus gestis aliorum hominum eorumque fortuna erudiamur ad nostram ipsorum vtilitatem, cautionemque in nostris rebus adhibendam. Numquam vero recte poterit quisquam de aliorum factis, factorumque euentu iudicare, nisi illa ad animi statum agentis retulerit, et possit referre. Hinc enim ratio est petenda eius, quod quemquam impulerit ad suscipiendum negotium; hinc etiam plerumque intelligitur, cur ita, nec aliter gesta res sit. Et quidquid tandem euenerit, quomodo
ab eo

ab eo animus fuerit adfectus, qualisue eius deinceps status sit consequutus, tum demum luculentius potest cognosci, et præstat cognoscere, si status agentis, qui prior fuerat, non ignoratur. Caeterum res est difficultatis plena, ad hunc modum scribere vitae curriculum, et hominis characterem per omnem aetatem reddere conspicuum, eiusque mutationum, quas subierit, aliarum ex aliis quasi genesin ostendere. Nam facta quidem fortunæque rationes virorum illustrium enarrare, quilibet homo de litteratorum grege potest. At animorum imagines ponere ab oculis ex vero expressos, aut ad similitudinem veri factos, hominum est, qui præter philosophiæ morales scientiam, quam sibi adquisuerunt, varietatem ingenii humani cum ex ipso usu, tum etiam ex aliorum obseruatione pernoscere didicerunt.

§. XII.

Ad aliam characteris animi notam progredimur, ex iis, quæ diximus, facillimo negotio explicandam, quam diuinationem, vel *προγνωσιν* adpellamus. Est autem diuination, seu *προγνωσις*, seu prænotio, rerum non necessariarum, quæ nondum sunt, cognita cum probabilitate existentia. Hanc igitur adfirmamus cum animi characterem sic copulatam esse, ut diuelli ac distrahi nequeat. Quod quidem ex eius unitate cognoscitur. Hac enim cognita atque perspecta, adfectionum collectio, siue in cognoscendi, siue in adpetendi sint facultate, ab oculis veritatur, ex quibus ratio repetitur eorum, quæ animo cæteroquin tribuantur, (§. 6.) atque adeo actionum eius etiam, ac decretorum. Quæ quidem ratio cum nequeat esse sufficiens, propterea, quod positis quibusdam agendi principiis, ac consuetudinibus, in qualibet materia obiecta, libera manet consideratio aequæ ac destinatio, et altiores sunt animi recessus, nec satis atque abunde quilibet eius status quouis tempore perspicari potest; tamen probabilis illa ratio merito putanda est, cum adferitur, rem aliquam referendam esse ad eiusmodi rerum genus, quod agendi regulis alicuius cognitæ conueniat, vel ab iisdem alienum sit; futurum igitur esse, ut

fic capiatur consilium, quemadmodum haecce conuenientia aut repugnantia suadeat. In cognitis enim illis ex characteris cuiusdam vnitate proposita regulis plura insunt rationis ad veritatem momenta, quam ignorantur. Probabile igitur est, quid de quacunque re obiecta, modo non sit leuis, nimisque exigua, futurum sit, vt statuatur deliberantis animus, ita nobis perspectus, vt supra posuimus. Itaque diuinamus.

Corol.

Quo plenius dederis descriptum oratione characterem, quo verior fuerit delineatio, aut verisimilior; eo certius atque re-ctius de eo semper erit augurium. Omnium vero maxime probabilis erit *προγνωσις* de characterē hominis adulti accuratius effiēto, cui quippe aetati, quod constat, maior tribuitur constantia. Caeterum sine aliquo certe augurio, et coniectura quodammodo probabili, nullus esse potest character.

Schol.

Etiamsi disciplinae morum doctores, ad modum quod attinet, quomodo sit indoles animorum inuestiganda, et quasi materies congerenda, ex qua illius effigies commode fiat, otium nobis fecisse videri possint; tamen, cum magnum sit huius rei momentum ad veros potissimum hominum, qui sunt, vel fuerunt, characteres exprimendos, quibus carere facile neque historia potest, nec res humanae prudenter atque vtiliter administrandae, cum diuinationis ex characterē idonea ratio ab hoc ipso maximam partem pendeat, ac denique, cum esse putamus, quod de illa inuestigatione caute suscipienda non inutiliter admoneamus; hoc sane praetermittere non possumus.

§. XIII.

Duas autem partes habet ista ingeniorum explorandorum ratio, vnam quidem hominum, qui sunt, alteram eorum, qui aliquando fuerunt. Priorem primum tractamus. Norunt igitur, qui, quod Wolfius, diuinum ingenium, et post eum alii celeberrimi viri de hoc genere praecipiant, inspexe-

inspexerunt, integra ratiocinatione eam rem constare, quae ita oritur, ut, si quis quid agat, aut animus cuiusquam commoueatur, haec ipsa experientia, unde, quid bonum illi videatur, malumue, constare debet, conclusio fiat; deinde, quale illud sit, quod egerit aliquis, aut in quo fuerit commotus, inspiciatur. Ex quo quidem assumptionis nascitur materia; unde facilis est adscensus ad generale quoddam pronuntiatum, quo tota absoluitur ratiocinatio. Huius igitur argumenti conclusionis posterior, hoc est maior enunciatio agendi principium censendum est eius hominis, ad quem illa pertinet experientia, qua ratiocinatio orta est.

§. XIV.

Cum non alia datur quasi via perspiciendi, quae intus in animo sint conclusa, nisi homo se ipsum aperiat; tum illa multis est obsepta difficultatibus. Prima quidem nascitur difficultas in ipso statim limine, hoc est, in observatione, vel conclusione ista, unde tota apta est ratiocinatio. Nam qualibet re proposita, quae animum possit adficere, aut aliquid decernit homo, aut non decernit; aut commoueri videtur, aut frigere. Quidquid huius adpareat, in neutram partem tuto satis semper fit existimatio, utrum, quod videatur spreuisse, parum bonum, et, quod arripuerit, praecipuum sibi bonumque duxerit. Neque, quo minus id constet, sola obstat simulatio atque dissimulatio. Saepe enim fortuna hominis commutata, aut ratio valetudinis, saepe casus aliquis nouiter oblatus, animo torporem quemdam attulerit, quod nescias, aut laetitiam gestientem, nouae cupiditatis atque libidinis matrem. Adiungitur etiam interdum non leue momentum ad rem praesentem ex recordatione earum rerum, quibus antea quisquam suauiter aut acerbe fuerit adfectus.

§. XV.

Quorsum igitur haec dicta volumus? scilicet, ut quomodo sibi quisque ab errore hic caueat, ne ab initio statim
labatur,

labatur, et falsam pro vera obseruationem arripiat, distincte proponatur. Tota huius cautionis ratio in hisce partibus fere vertitur, vt siquidem ex actionibus hominis, ex re gesta, vel animi commotione ad aliquod eius agendi principium peruenire cupias, haec diligenter etiam atque etiam perpendas

- 1) vtrum ex animo quidquam sit actum, an vero simulate, constare possit. Tempus, locus, occasio, vultus hominis, modus ipse agendi, et arbitri spectatores, horumque conditio, multa nos admonent in obseruationis negotio, quod quidem ab iis, qui nondum aere lauantur, suscipi recte omnino nequit.
- 2) Si vel maxime constet, fictum non esse simulatorem, cuius actiones motusue mentis obserues, hac tamen cautione valde opus est, ne status hominis internus, paulo ante praeteritus, aut praesens, in considerando negligatur. Quo quidem neglecto, aut parum cognito totum obseruationis negotium erit frustraneum. Nihil enim tum constat, nisi hoc, bonum iam quidem reputauisse hominem, quod egerit, malum, quod spreuerit, propter animi statum temporarium. Quale quid fieri posse, vel inde cognoscitur, quoniam saepe multi, tritum illud exclamare solent: *factum nollem*. Ita enim illi confirmant, primum sibi rem bonam visam, vel malam etiam; deinde aliter multo videri, et visam fuisse antea hoc modo, si animum attendissent. Atque propterea nullum sic quidem agendi principium, facta ratiocinatione, patebit, constans quidem illud atque perpetuum.
- 3) in animi commotionibus seperatim haec oritur difficultas, quod, si certum sit ac exploratum, adfectum fuisse animum, tamen quomodo sit adfectus, non perinde semper cognosci ac sciri potest, propter hanc causam, quod animi commotionum, in tanta ingeniorum diuersitate, signa certa atque constantia non reperiuntur. Antequam vero sit manifestum, vtrum iucunditatem quidquam alicui, an taedium attulerit, nulla fieri

la fieri

la fieri potest argumenti conclusio ad indagandum agendi principium.

§. XVI.

Hae fere sunt cautiones experientiae, vel obseruationi adhibendae, ex qua ratiocinatio exstruitur, cuius supremum enunciatum agendi regulam exhibet. Facile hic quilibet perspicit, non nisi iteratis idemdem obseruationibus, ad certitudinem aliquam perueniri posse. Quamquam ad animi commotiones quod attinet, quippe quae paullo difficilius etiam ab exercitato animo contineantur, potissimum vehementiores, negari nequit, promptiorem ex illis esse ingenii inuestigandi rationem.

§. XVII.

Sed haec haecenus de conclusione. Neque vero fati expedita ratio est assumptionis, eius syllogismi, quem fieri volumus ad explorandum hominis ingenium. Quae, cum ita efficiatur, ut, quare quidpiam bonum malumue sit visum, enunciatur (§. XIII.); ab huius autem iudicii veritate, ut facile intelligitur, supremae enunciationis, qua quidem agendi regula contineri debet, veritas pendeat: primum hoc recte colligitur, idem esse assumptionis momentum et obseruationis, qua nititur conclusio. Difficultatem vero hoc parit, quod eadem res variis de causis bona vel mala esse, censi possit. Quod quidem dupliciter intelligendum. Aut enim in re ipsa, vel eius certe circumstantibus proxime rebus haec est varietas, ut sic, vel aliter adhibita, iucunditatem vel taedium pariat; aut e longinquo prodesse vel obesse videri potest, siquidem remedium fiat ad propositum finem obtinendum, aut contra illi impedimento esse censeatur.

§. XVIII.

Cum haec ita sint, quemadmodum diximus: adparet, quomodo et qua via hic quisque sibi ab errore
C
caueat

caueat. Si enim, quare quidquam bonum sit visum, dispicitur: cauendum sedulo est,

- 1.) ne alterum ex illis duobus capitibus pro altero temere arripias, quoniam aequae utrumque contingere potest, vel ut in ipsa re, quae actioni fuerit obiecta, eiusque circumstantibus proxime rebus, quod placeat, displiceatue, reperiatur, vel ut extrinsecus accedat ratio, si quidem ad aliquem finem referatur. Deinde
- 2.) sic est instituenda exploratio, ut primum, quamobrem vnumquodque per se et ex propinquis rebus spectatum vel oblectare, vel molestum esse possit, inquiratur. Quod fieri poterit, si actionem eiusque veluti materiam ex rebus proxime circumstantibus rite aestimaueris. Ac si ita contingat, ut actionis vel susceptae vel omissae ratio prope sufficiens cognoscatur, exploratum probabilius erit, quomodo quidquam bonum malumue sit visum. Sin aliter contingat, scilicet, ut nullam in partem, rebus sic se habentibus, quidquam referre videatur; tum sane ratio erit e longinquo petenda. Cuius quidem rei signum est vel luculentissimum, si maiori cum studio et opera gestum aliquid sit, vel concupitum, quam videri poterat esse satis.

Schol.

Exemplum iuuat proferre hominis, pietatis actus aduersus deum exercentis, saltim, qui speciem habeant. Veluti, si quis conciones sacras diligenter frequentet, si benignior saepe sit erga egenos et pauperes, nec inepte illud quidem faciat, ita, ut ostentare se velle, non magnopere videatur; porro autem, si qualibet occasione commode oblata, proque conditione sua aut verbis ipse castiget mores hominum peruersos ac deprauatos, aut horum indicium faciat, quasi muneris causa, principibus viris ad coercendum. Quid igitur, si quis ita se gerat, ut diximus, ex cautionum regulis a nobis allatis, statuendum de illo erit? Tu vero sic habe; videndum primum, quid sit perpetratum. Erogatum est aliquid in pauperes, qui
ero-

erogavit, idem et conciones sacras frequentat, mores hominum peruersos castigat, et studet coercere. Bonum igitur hoc esse, quidquid est, censet. Saepe autem hoc facit, ac censet; itaque bonum esse, constanter iudicat. Habes igitur conclusionis materiam (§. 15, 16.) ac bona cum pace mea pronunciare hoc potes: *hic homo bonum iudicat esse, templum frequentare, in pauperes benignum, in dissolutis moribus homines severum se gerere.* Sequitur altera de assumptione syllogismi faciendi grauis quaestio. Quale igitur censendum est, quod noster egit (§. 17, 18.)? scilicet, actus pietatis aduersus deum exercuit. Quis negat inquis, aut potest negare? Ego vero haecenus neque nego, neque adfirmo. (§. 18, n. 1.) Rem ipsam primum considero (§. 18, n. 2), atque intelligo, posse diuinitus permoueri animum, ac voluptatis purissimae et numquam casurae sensu atque dulcedine adfici, ex animo si fiant cuncta; neque in rebus circumstantibus quidquam reperio, cur aliter statuam. Tecum igitur eatenus facio, et assumo: *templum frequentare, et reliq. hic quidem actus sunt aduersus deum pietatis cultusque censendi.* Quod si recte iudicatum est: nihil impedit, quo minus generale axioma sic fiat: *quod pietatis aduersus deum est specimen, ab hoc homine bonum esse censetur.* En! habes, quod gaudeas mecum, hominem esse repertum talem, quem inter veros diuini numinis cultores probabili coniectura merito referas. Probabili, inquam, coniectura; nam ultra probabilitatem hic quidem progredi omnino non licet. Probabilis est conclusio; probabilis item assumptio; ac probabilior quidem, siquid ego video, prior est censenda, propter observationem in pluribus similibus actionibus similem, crebram, atque constantem. Minus probabilis autem assumptionis ratio ut plurimum, neque hic solum, habenda, quoniam facilius, quid probetur, vel reprobetur, quam quale sit utrumque ex hominis opinione, aut quibus ex causis placeat, displiceatue, indagari potest. Age vero, retracta mecum, si placet, exemplum, quod attuli. Propone tibi eundem hominem, oculum adhibe curiosum, et ad omnia intentum. Ecce autem euntem per viam, et vrbis plateas, solum sine comite, Fit obuiam homo
C 2
mifel-

misellus, cuius membra huc illuc vacillantia vix ac ne vix quidem baculus sustinet; stipem rogat voce miserabili; nec frustra rogat. Videsne, illum, quem obseruas benignum hominem, vt manum demittit in crumenam, vnde, nescio quid lente protrahit pauperi offert, cuius etiam nunc laetabundi et vocem et lacrimas, bonae grataeque mentis indicia, quod facile mireris, manu comprimit, itaque abit, vt a nemine obseruatus. Quid ergo ille? Bonumne iudicat esse, dare pauperibus. Bonum vero hoc iudicat. *Ac de conclusione quidem sic ego facillime largior.* Quid autem de assumptionis ratione censendum? Quare bonum hoc iudicet, velim explices. Enimvero facile video, quorsum inclines. Commotus est, inquis, benefactor ad spectu miserissimi hominis, ipse homo; immo etiam, quod maius est, in memoriam venit diuini, de aliorum inopia et miseria subleuanda, praecepti. Quid multa? benignus fuit; pietatis aduersus deum specimen edidit luculentum. Itane censes? Adeone nihil haesitas? Ego vero, quod pace tua dictum volo, aliquid aliud suspicor, et quamquam inuitus, tamen suspicor. Lente scilicet atque cunctanter nimis protracta siue stips, siue pecunia. Non placet. Displicet etiam hoc, quod meum, in longinquum acerrime penetrantis ad spectum non subterfugit, displicet, inquam, quod antequam daret, quasi aliud agens, limis oculis furtim, si quis animaduerneret, explorare videbatur. Quare igitur aliquid ego hic suspicor? Quia videlicet supra praecepti (§. 18. n. 2.), si quis quid egerit, plus, quam satis esset, atque si ex propinquis actioni rebus, ex eiusque materie obiecta ratio sufficiens non apparere posset, aliam rationem, ab ipsa illa re alienam e longinquo esse petendam. Quod sane huc commode quadrat. At enim vero, ne nunc quidem, quod suspicor, pronunciare audeo; quippe qui cautus sim, et neminem libenter laedam. Age igitur, vt constet, quod quaerimus, prosequere mecum, si placet, hominem, quem aueo scire, quid hominis sit. En! domum intrat suam, stipatam egenorum hominum multitudine. Dat omnibus, simulque tacere illos iubet beneficium diligenter; nolle se,

alios

alios rescire, quam benignus sit. At, at! suspiciosa res est. Nam manum lente demissam, lentius protractam stipem, oculosque limos, furtiuos exploratores, bene recordor. Quid? quando ille, et quomodo conciones sacras frequentat? Perquire hoc quoque, si etiamnum dubitas. Nam me quidem iam poenitet hominis. Scio enim, quid sit, quod crebro indicium faciat principibus viris, quasi aliud agens, si quid sit, quod rectius fieri poterat. Nam ceteri quidem viri cordati vel tacent, vel aliter obuiam eunt prauitati, ac multo humanius se gerunt. Quid ergo agit molestus ille? Largus est, ut videatur; spectatum venit, templum frequentans, ut ipse spectetur. Semper aliquid, quasi in specula sedens, circumspicit, quod deferat ad magistratum, ut fidem illi sic faciat, quam cordi sibi sit diuini numinis cultus atque religio. Lucrum deinde ex ea re capit longe indignissimum, ac quaestui habet rem omnium maxime salutarem, rem diuinam. Monstrum hominis ac dedecus! Cum haec ita sint; quomodo instituenda sit assumptio, facile vides. Ac si nunc quidem ad generale axioma hominis turpissimi pergis; tale deprehendis esse, quod abhorreas.

§. XIX.

Nonnihil hoc loco dicendum etiam de eorum hominum indole, atque ingenio explorando, quorum memoria, historiarum monumentis, ad nos peruenit. Quae quidem ratio priori, quam modo tractauimus, non est dissimilis magnopere, neque etiam per omnia plane eadem. Construendi nimirum hic quoque syllogismi quasi exploratorii, quibus dicta factaque fundamenti loco substernantur. Ac facile adparebit, quae huius rei peragenda possint esse commoditates, et quae cautiones adhibendae sint, historiae quidem conditionem atque naturam si spectes. Sed videlicet ratio nostra nunc minime patitur, progredi longius. Ac leuiter pertractare rem paullo maioris momenti non conuenit. Finem igitur differendi facio.

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
HENRICO DITERICO WOLDT

PHILOSOPHIAE ET SANCTIORIS DISCIPLINAE
CVLTORI STRENVO
FAVTORI SVO ATQVE AMICO LONGE AESTVMATISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S.

Qum nuper propterea me conuenires, vt, si res integra esset, comitem te mihi adiungeres ex cathedra philosophorum disputaturo; quam id mihi gratum acciderit, testis es ipse, quamque postea sim gauisus, cum ZIEZII nostri, quem colimus communiter amicum, facilitate esset obtentum. Nam quocum libentius possem eiusmodi suscipere negotium, quam cum illis, quorum ingenii vires, pariter atque industriam, in perdiscendis exercitandisque rebus vtilissimis collocatam et cognoscere longo tempore, et adiuuare quodammodo potuerim. Quod quidem in vtrumque Vestrum, in Te vero vel praecipue conuenit, VIR AMICISSIME. Coniunxit enim TE mihi *societas mea* ad litteras latinas disputandique artem excolendam, priuatim instituta, in qua fere biennium sic semper versatus es, vt et alii, quod imitarentur, haberent, et ipse ego, vt magis atque impensius TE amarem, coleremque, non propter hoc solum, sed etiam quod morum probitate ac elegantia flores, vehementer admonerer. Non amo ambitiosam
lau.

laudem, quam pudor ille tuus, qui TE commendat, valde recusat, immo etiam contemnit ac negligit. Verbis igitur parco, ea laude, quae TIBI hic quidem vel potissimum debetur, contentus, quaeque ex ipso negotio, quod agis, sponte nascetur. Non enim me fallere potest augurium, talem TE fore in publico certamine, qualem TE TVI meique in priuatis nostris exercitationibus cognitum semper iudicarunt. Hanc igitur laudem, qua largiter cumulaberis, ex animi sententia TIBI congratulor. Et, quia mox editurus es scriptum quoque eruditionis luculentissimum documentum, cuius inspiciendi copiam mihi fecisti, accedit haec quoque gratulandi causa iustissima. Fruere, quod, qui penitus TE norunt, precantur omnes, fruire inquam rebus prosperis, et ad vota fluentibus, vt quomodo coepisti dudum, in laudis itinere feliciter pergas, ex quo largos patria percipiet, largissimos ipse fructus aliquando, si coeptis annuit diuinum numen, certissime reportabis. Vale, et me, quod facis, constanter ama. Scribebam Ienae III. Id. Iun. A. A. S. V. P. C I D I D C C L V I.

COROLLARIA.

Magnus animus vnice cernitur duobus hisce, coniunctis quidem, si quis ad consilia capienda solertiae plurimum, ad agendum constantiae, quod satis sit, habet.

Aut sit vir bonus ac innocens scriptor satiricus, aut nomen artemque suam tueri nequit. Vtrum autem sit vir bonus, rumoris inconstantia iudicari nequit.

Qui punctum mathematicum diuidit, pessime diuidit.

Triangulum non existit.

Qui Brutum, Romanae libertatis vindicem, quod filios suos interemit, crudelem fuisse, & animum parentis abiectisse putat, in errore est.

Quan-

Quantum innocentia et abstinencia valeat ad bellum gerendum feliciter, e Scipionis eius, qui cum Hannibale pugnavit, rebus in Hispania gestis perspicitur.

Verba: *ὡς ἐνομιζέτο τῶς ἰωσήφ* Luc. III, 23. non separanda sunt, ut Millius exhibet, sed vel in parenthesis, vel propositionis incidentis instar habenda.

Lucam Mariae genealogiam enarrare l.c. vel ex occasione dicendi colligi potest.

Rhetoricae veteris auctores finem artis suae hunc statuebant: dicere ad persuadendum adcommodate. Requirebant autem, ut esset vit bonus orator. Quo ipso, mea quidem sententia, persuasionis ideam recte constituerunt.

Pulchritudinem, cuius in oratione maxima vis est, perfectionem esse sensibus perceptam, s. sensitivè cognitam, et adfirmare, et negare posse, mihi videor.

Calceos diuidere in vulgares, philosophicos et mathematicos, aut similes facere diuisiones, nemo audeat, nisi qui magna inter eruditos auctoritate pollet. p. Logic. Nec obstat, quod est apud Horatium: ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secat res.

Philosophi est, verba curare. Neque adeo Stoici audiendi.

Substantia et phaenomenon substantiatum in aliud agens ab eo patitur.

Hypothesis, ex qua plurima phaenomena percommode explicari possunt, in rebus physicis magnum habet momentum.



Lit. Lat. rec. B 56.



